DISSERTATIO ANATOMICO-PATHOLOGICA

SUPER

MORBOS

IN

OVARIIS OBVIOS.

AB

E. A. BREHM,

D. MEDICINAE, PROSECTORE IN THEATRO ANATOMICO VRATISLAVIENSI.

CUM TABULIS QUINQUE LITHOGRAPHICIS.

VRATISLAVIAE

TYPIS GRASSII ET BARTHII.

MDCCCXX.

VIRO

ILLUSTRI, EXPERIENTISSIMO, ATQUE OPTIMO

MOGALLA

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI IN REBUS PUBLICIS A CONSILIIS, DIRECTORI COLLEGII MEDICI ET SANITATIS, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITI ET FAUTORI ATQUE PATRONO RERUM COMMUNE CIVITATIS BONUM CONCERNENTIUM etc. etc.

SUMMA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

HASCE

STUDIORUM SUORUM ELUCUBRATIONES

TANQUAM

SUMMARUM GRATIARUM

ANIMIQUE OBSTRICTISSIMI TESSERAM

D. D. D.

AUCTOR.

PROŒMIUM.

Collectiones anatomico-pathologicae Regii Instituti chirurgici a defunctis Doctoribus et Professoribus Morgenbesser et Hagen factae, licet in frequentibus et memoratu rebus dignissimis, nisi exsuperarent, illis saltem aequiparari jure et merito possent; ob spatii tamen et auxilii penuriam ruina procul dubio illis proxima minitaretur, nisi, Illust. atque Doctissime, tuam in eas conservandas atque locupletandas curam omnem collocases.

Tibi itaque, qui id muneris in me contulisti, ut in ordinem partes susdeque disjectas, maximis, quibus opus erat, impensis redigerem, mearum esse partium existimo, grates quam possum maximas persolvere.

Prae caeteris porro, qui hoc in negotio mihi gratificari pro viribus studuere, opemque haud mediocrem contribuere, Illust. Dr. Hanke, Collegii medici Assessorem, operationibus chirurgicis inclitissimum, Medicum primarium nosocomii Fr. Fr. Miseric. etc., nec non Districtus Vratislaviensis Physicum Illust. Dr. Schlegel nominare fas est. Hos proinde, et omnes, qui sive ad adaugendas has collectiones, sive ad earum incrementum quomodocunque contulerunt, gratissimo, quo par est, animo prosequar.

Ex his collectionibus meae elucubrationis hausi materiam eo cum animo, ut industria, quam impendi, rei gravitati foret quam maxime consentanea.

OVARIORUM IN STATU NATURALI CONSIDERATIO.

S i t u s.

Ovaria, sive testes muliebres, sive vesicaria, in situ naturali utraque ex parte uteri, pollice fere ab eo distantia, circa fundum acetabuli; superiori quidem parte superficiei posticae ligamenti lati utero per ligamenta coalita; tubae tandem Fallopianae cum ligamentis teretibus ante et supra ovaria observantur.

F o r m a.

Pro diversis vitae temporibus ovariorum quoque forma diversissima est. In Embryone in longum, epididimi haud dissimilia, paulo adultiori aetate in latum, in speciem propemodum prismatis extensa, juvenili autem oblonga, anteriori plana, posteriori convexa superficie deprehenduntur. Margo inferior cum ligamento uteri lato conjunctus, a linea recta vix aberrat, superior vero nullibi devinctus formae convexae est. Duas quoque animadvertimus extremitates, quarum altera, quae uterum respicit, uterina, altera cum adnexa morsus diaboli fimbria abdominalis audit.

Eminentias, quas sub tela cellulosa, qua reconduntur, animadvertimus, ovariorum vesiculas vel maturas vel maturitati proximas esse credimus.

T e x t u r a.

Ovaria consistunt ex densa tenacique telae cellulosae, permulta et exilia vasa sanguinem atque lympham ferentia, continentis substantia, in qua parvulas et obovatas, membranaque semipellucida obductas, diversae magnitudinis XV vel XX circiter vesiculas, quas ovula Grafiana dicimus, si-

tas concernimus. Haec lymphaticum limpidumque, quem acida et aqua bulliens spissum in coagulum convertunt, humorem includunt, et tela cellulosa inter se extus conjuncta nervos et sanguiferos lymphaticosque ductus subtilissimos manifestant.

Ovulum quodvis, exteriori ovarii tunica obductum, plus minusve ex cellulosa relaxiori, qua investitur, tela prominet. Si, quod coitu foecundanti semper, non raro id ipsum aut amore, aut lascivis cogitationibus aliisque animi adfectionibus factum experimur, unum sive plura ejusmodi ovulorum rumpantur; in eorum, quo exstitere, loco unum vel plura lutei coloris corpuscula deprehendimus, prouti ovulorum unum vel plura disrupta fuerant. Ductibus propriis carent.

Ovula aetate senili exsiccantur, ovaria autem ipsa corrugantur.

Quodvis ovariorum vasa sibi acquirit sanguifera ex arteria spermatica, sive illa ex Aorta [quod fere semper deprehenditur,] sive ex arteria renali ipsius ejusdemque partis descendat. Hujus in quam plurimos ramulos partim in cellulosa ovarii tela, partim in admodum tenui cujusvis ovuli membrana divisae arteriae ramuli minimi vel anastomoses ineunt cum venis suborientibus, vel in vasis ipsis absorbentibus desinunt.

Exiles venarum canaliculi rursus sanguinem excipiunt, illumque mediante spermatica in venam cavam revehunt.

Venae Ovarii lymphaticae in funiculum spermaticae comitem transeuntes, vel plexu renali vel lumbali cursum perficiunt.

Nervi utriusque ovarii tam ex plexu spermatico, renali et mesenterico, quam ex sympathico magno oriuntur.

Functiones.

Quemadmodum testes et vesiculae seminales in maribus, ita quoque ovaria laticis seminalis foeminei organa et secretionis et adservationis habenda sunt. Stimulum, ut irritentur, modicum expetunt, cum eorum irritabilitas tanta sit, ut, modo quocunque producatur, mirum in modum sensibilia reddantur. Amor aut lasciva cupido utrumque sexum vel ad coitum ipsum vel ad propria alteriusve sexus genitalia excitanda, imo ad ipsas delenitas voluptate cogitationes sibi fingendas invitat aut impellit.

Ideo fit, ut imaginandi animi facultate vehementer excitata partes genitales, veluti in coitu, adficiantur.

Confluxu humorum versus genitalia per ejusmodi irritamenta adaucto uterus vaginaque inturgescunt, et ovaria fallopianis fimbriarum ope, facto irruentis in eas sanguinis impetu, et rigidis erectisque in complexum veniunt tubis.

Ovaria, e quibus per vitalis hujus turgoris incrementum unum sive plura ovula, a tubis postea suscepta, surgebant, sanguine copiosiori tument, vasa tenerrima, injectorum instar, fiunt conspicua et ovula grandiora tela cellulosa quasi proserpunt.

Actio haec non absimilis est inflammationi, majori modo minorive, prout viribus irritamina ipsa pollebant.

Eorum, quae edixi, veritate pluribus canum, felium et cuniculorum partim graviditatis, partim uriginis tempore institutis vivisectionibus affatim convictus sum: etenim vasa semper sanguifera turgida, ovulaque ipsa tumefacta deprehendebam.

OVARIORUM MORBO ADFLICTORUM CONSIDERATIO.

Causae.

Phaenomenorum, quae adflictis morbo ovariis se manifestant, causas licet suspicari fere innumeras, cum sensus nostros fugiant, atque ideo primum in earum cognitionem veniamus, aegrotis vel summo in discrimine jamjam versantibus, vel, quod saepius accidit, sectione cadaveris. Utcumque se res habeat, nemo tamen inflammationem has adversae valetudinis mutationes praecedere inficiabitur.

Causis primariis adnumerantur sequentes:

1. Asthenia ovariorum.
2. Materiae morbos causantis accumulatio.
3. Interruptio sive absoluta mensium suppressio, e quibus debilitatem ovariorum, aut impotentiam, copiosiorem humorum adfluxum minuendi, refluxum vero imminutum augendi, derivandas esse compertum est.

4. Externae laesiones in vicinia ovariorum.
5. Graviditas frequens.
6. Stimuli atque incitamenta in partes genitales saepe saepius iterata.

Duabus ultimis causis morbi in ovariis obviis plerumque originem debent; quapropter puellae in venerem pronae, juvenes, foeminae et consciae male peractae juventutis matronae his morbis adflictae non raro decumbunt.

Quod irritabilitatem attinet, haec aut frequenti et furibundo coitu aut excitando genitalia, quin coëatur, aut lascivis animi cogitationibus exstimulatur.

Irritamentis haec inest vis, ut in ovaria sanguis cum impetu feratur, eorumque vires, quo saepius et vehementius concubitus exerceatur, successive frangantur; nam vasorum, quae sanguinem revehunt, vi sublata, illa adducentium magis magisque augetur. Inde sequuntur incrementum caloris, dolor, rubor atque tumor; verbo, tanta vasorum efficacia et sanguinis, ut capillaria, in quibus praeter lympham nihil deprehendi solet, sanguine turgeant, ac vel ideo sedem inflammationis ipsiusque ruboris habendam esse minime dubito. 1)

Ovarii inflammatio (*Oophoritis.*)

Morbi hujus diagnosis multis magnisque non raro difficultatibus laborat, facileque cum longe alio confundi potest. Quibus vero hic morbus ab aliis differt, signa pathognomonica sunt dolor fixus et incrementum caloris circa fundum acetabuli.

Oophoritis aut in ipsa ovarii substantia aut in partibus, quibus ambitur, sedem habet, et quemadmodum in aliis corporis organis laesis, ita quoque hic jam acutus, jam chronicus, quod saepius accidit, judicandus est morbus, prout nimirum dolor vehementior sive depressior, calorque major minorve, modo praetervolans, modo durans est.

---

1) J. J. Meckel: patholog. Anatomie. Th. 2. Ahtheil. 2.

Inflammatione ovaria frequentiori humorum adfluxu ampliora redduntur, et hac de causa, morbo his in partibus laborantes foeminae pressionem quasi ponderis pelvi imminentis persentiunt.

Quaevis inflammatio elicit vel intra ovaria vel in externa eorum superficie, praesertim peritoneo inflammationi obnoxio, humorem, ex cujus concretione dein tela cellulosa efformatur, cui non exiguus vasorum numerus originem debet. Haec tela, ligamenti instar, vicina organa v. g. hepar, uterum, et intestinum rectum, tam arcte cum ovariis copulat, ut nonnisi difficillimo negotio a se invicem separari possint.

Tela haec passim in puellis venere vulgivaga corruptis obvia fit. 1)

Si vero hujus humoris exsudatio intra ovaria ipsa obtingat, eorum substantia increscit spissaque indurescit, simulque vasorum sanguiferorum, ut denuo enascantur, atque metamorphoseon, quas partes hae subeunt, ansam porrigit et fundamentum.

OVARIORUM SUPPURATIO.

Inflammatione insignem consequuta gradum, praeter exsudationem longe alius spissiorisque fluidi formatio, videlicet suppurationis, observatur. Ut haec producatur, majori vasorum intentione, nec non virium impendio opus esse videtur. 2) Hac mutatione subsequuta, dolores, quos pervicacissimos una vel altera corporis parte aegrota persensit, evanescunt ita, ut praeter pressum nullius plane molestiae his in partibus sit conscia.

Abscessus hac ratione ortus his in partibus nonnunquam tam magnum acquirit circuitum, ut integrum abdominis cavum occupet. Praeter has porro ovariorum suppurationes in iis quoque non exigua humorum copia diversis folliculis inclusa reperitur.

Non multo abhinc tempore sectione cadaveris puellae, XXVI. circiter annorum, et longiori tempore veneri deditae, instituta, ovarium cavita-

---

1) Walter de morbis peritonei. Berl. 1785. p. 13.

2) Meckel l. c. und Meckels Archiv für Physiologie. B. 2. H. 3.

tem abdominalem penitus replens, cum parte peritonei anteriori coalitum et XX prope mensuras silesiacas (Quart) continens reperi. Folliculi jam ampliores, jam angustiores, e quibus ovarium compositum videbatur, partim pus, partim limpidum humorem condiderunt. Femina, cujus abdomen indies magis magisque intumuit, ab obstetrice gravida putabatur.

Diagnosis hujus morbi difficilis esse videtur; attamen dolore cum caloris incremento in certa pelvis regione, v. g. circa acetabuli fundum, perseverante, post vero derepente sublato, et succedente in ejus locum pressione et gravedine in cavo pelvis, nec non paralysi cruris in latere affecto: a vero vix aberrat, qui morbum e symptomatibus hisce suppurationem ovarii esse conjecerit. Penetrando vaginam aegrotae statum exploraturi, a lateribus ejus sentiemus tumorem intensum, quem, vicinis organis licet intime cohaeserit, sursum versus paululum tamen movere poterimus. Hujus autem morbi inquisitioni illa per intestinum rectum praeferenda est.

Prognosis hujus morbi pluribus quoque difficultatibus implicita est, et nonnisi tum spes sanationis aliqua superest, si pus, antequam vires defecerint, sive per vaginam, sive per intestinum rectum, sive e quocunque abdominis loco vel natura agente 1), vel arte juvante, effluxerit. Si vero, quod nimia fit suppuratione, aut vires indies magis magis defecerint, aut pus ipsum in abdominis cavum sese diffuderit, organaque vitae nobiliora laeserit, de aegrotae sanatione penitus desperandum est. Hunc morbi statum bis ipsemet observavi.

1. *Diffusio puris in cavum abdominis.*

Puella XXIV. annorum et optimae valetudinis, per totam noctem in ludo saltatorio choreis indulgens mane de doloribus in dextro pelvis latere conquesta est, qui licet indies augerentur, omnis tamen medendi opera a parentibus neglecta est. Elapsis XIV. diebus, dolore penitus cessante frigus atque pressum iisdem in partibus se sentire, edixerat. Vi interim pressionis increscente, febrique accedente vespertina eo adducta est puella, ut toto corpore marcida post XXIII. dies inter spasmos et singultus spiritum emitteret.

---

1) Richters chirurgische Bibliothek. B. VI. S. 58. — B. XI. S. 336.

Sectione dein cadaveris instituta, intestina omnia inflammatione corrupta inveneram, reliquis vero, ut splene, hepate, ventriculo ac pancreate illaesis; in ipsa pelvis cavitate circiter XII. uncias puris spissioris, coloris lutei; porro vesicam urinae, uterum cum ovario sinistro, tubas Fallopii et intestinum rectum inflammata; tandem ovarium dextrum diametri fere ejusdem ac infantis paulo robustioris caput est, simulansque imaginem sacci, qui coloris obscuri et telae cellulosae laxae rimas in latere duas ostenderat, pollicem circiter longas, ex quibus pus stillaverat. Tuba cum ovario intime conjuncta, et orificium vaginae extensum, rugaeque ejus complanatae erant.

2. Excretio puris per intestinum rectum.

Femina XXX. annorum, corporis infirmi, venereae libidini indulgens, nunquam vero puerpera, dolores in pelvis cavitate ceperat, quarum autem rationem penitus nullam habuit. Post in eadem pelvis regione pressum indies crescentem sensit, unaque alvi suppressionem et virium in femore sinistro defectionem hebetationemque perpessa est. Paulo post pressu in cavo pelvis ingravescente, licet prolapsus vaginae et urinae incontinentia accederet, alacri tamen animo domestica negotia subiit. Mensibus sex elapsis dolores in regione intestini recti oborti cum puris per anum effluvio paucis diebus post evanuerunt. Octavo dein die febri occupata dolores perceperat vehementiores in intestino recto, ex quo puris plurimum magno cum foetore pedetentim effluxit. Ab hoc tempore magis magisque indies marcescens, postquam per integros duos annos vehementissimos passa fuisset dolores, mortua est.

Sectione cadaveris facta, viscera tenuia et colon, ventriculus, pancreas atque renes nil vitiosi habebant, hepar autem duritiei solito majoris, cystis fellea calculos permultos continens, splen relaxus et sanguine turgidus comparebant. In pelvis cavitate corpus ovale $5\frac{1}{2}$ pollices longum et 4 pollices latum, pelvis spatium superius replens, deprehendebam. Illud paulo attentius inquirendo, sinistrum ovarium cum utero et intestino recto coalitum esse inveni. Pondus hujus ovarii, sine intermissione in uterum agens, absque dubio prolapsum vaginae et incontinentiam urinae produxisse videtur. Cum genitalia exenterare nollem, sed potius in ipsam ovarii cum utero et intestino recto conjunctionem inquirere placeret; observabam, illum vix solito grandiorem, intestinum vero rectum cum tumore ipso, qui plurima cellulosa cartilaginem imitante tela circumdatus

fuit, coalitum esse ita, ut nonnisi penitiori industria rectum ab osse sacro sejungere mihi contingeret.

Ovarium vitiosum duas continuit cavitates, quarum sinistra cum intestino recto, cujus pars anterior pure penitus corrosa erat cavitatem communem repraesentabat. Pus foetoris erat pessimi, colorisque ichori similis ejusdemque naturae. Uterus induratus maximopere vesicae urinae erat adpressus, ovariumque sinistrum sua cum tuba et utero corpus unum efficiebant.

Scirrhus ovariorum.

Scirrhus inflammationis uteri effectus est potius, quam ovariorum; nihilominus tamen et in his, quamvis rarissime, obvius est. Venere corruptae et naturalis in scrophulas propensionis foeminae huic praecipue subjectae sunt.

Lympha in ovarii substantiam exsudata opacas et diversimode inter se connexas fibras profert. Durities, quam habent cartilagineam, facit, ut scirrhi cohaerentia a naturali remotissima durior sit et densior, majusque saepenumero volumen induens. 1) Dolores excitandi vis scirrho deest. — Non raro observantur innumerae in scirrhis lympham luteam involventes vesiculae, quae in folliculos valde tumidos transmutari solent. Ovariorum quoque in superficie excrescentiae scirrhosae magnitudinis diversae et formae deprehenduntur.

Ejusmodi est Tab. I. Fig. 2., in quo sub extremitate ovarii uterina similis cono excrescentia, lineisque tribus longa observatur. Num haec expulsum ex tela cellulosa et induratum et grandius potius ovulum habendum sit?

Eodem porro in ovario reperitur alia excrescentia et quidem formae arboris frondosissimae non absimilis. Folia ejus densa et prope cartilaginea sunt.

---

1) Meckels pathol. Anatom. Th. II. Abth. 2. S. 337. — Benjamin Bell's Zusätze z. d. Abh. v. d. Geschwüren. S. 208.

Hanc successu temporis vastam potuisse magnitudinem acquirere conjicio. 1)

Ovaria scirrhosa ossium interdum induunt texturam; diversis etenim locis substantiam suam in eam cartilaginum, qua successive terra ossea reponitur, transformant. Hujus autem terrae depositio non in uno solum, sed in diversis eodem tempore fit locis; observantur enim hujusmodi strata ossea jam internis, jam externis ovariorum parietibus.

Scirrhosum cum involucro osseo ovarium.

Puella XXVI. annorum, quae corporis infirmi vitam libidinosam sectabatur, et cui menses anno vicesimo primi fluebant, nocte impudice peracta in sinistra pelvis parte doloribus vexabatur. His post paucos dies disparentibus ponderis quasi urgentis loco eodem, quo dolores, pressum perceperat. Mammae sensibiliores turgescebant mensesque supprimebantur. Ex his phoenomenis, debilitate virium, macieque corporis indies aucta, conjecturam, se gravidam esse, fecerat.

Pressus licet quotidie in pelvis cavo molestior evaderet, nullus tamen externus tumor observabatur. Anno circiter elapso in sinistro pelvis cavo, edixerat, se vehementes habere dolores, femurque sinistrum ab iis pariter adfectum torpescere et oedematosum fieri. Spasmos tandem postquam vehementissimos doloresque sustinuisset, anno post mortua est.

Illius dum in cadaver inquireretur, per integumenta abdominis in sinistra pelvis parte tumor lapidis instar durus manibus contingi poterat. Vaginam et intestinum rectum penetrans corpus durum et mobile eadem in regione tactu deprehendi.

Cavo abdominis recluso omenta et mesenterium marcida, intestina et ventriculum admodum contracta et exsanguia, hepar perexiguum, sinistrum duntaxat hypochondrium replens, a dextro versus sinistrum 6 pollices longum, a fronte ad tergum $4\frac{1}{2}$ pollices latum reperi.

---

1) G. Prochaska Diss. anatomico phys. de org. corp. hum. Tab. V. Otto Handb. der pathol. Anatom. etc. S. 378.

Cystis pariter exigua et felle vacua erat. Integrum hepar $2\frac{1}{2}$ libram ponderabat. Splenis permagni, 7 videlicet pollices longi, parenchyma densum et tenax; pancreas consueto durius erat. — In sinistra pelvis cavitate ad fundum acetabuli corpus durum et subrotundum Tab. I. a; ovarium esse sinistrum illico cognovi. Corpus hoc 4 pollices in longum, 3 in latum extensum, dextrorsum uterum situ suo dimoverat. Extus densissima et gibbosa, lineam crassa, ossea involvitur crusta, in qua ingens granulorum diversae magnitudinis copia a. a. a. a. observabatur. Intus alba, spissa et fibrosa constat materia, in qua praeter plurima et exilia sanguifera vascula diversa quoque strata ossea sese manifestant.

Scirrhus hic ponderat dimidiam libram.

Ovarium sinistrum B. exiguum nec perfecte est efformatum, sicut dextra Fallopii tuba C. nullibi erat partibus vicinis coalita.

Uterus D. solito minor, 2 pollices longus, ad fundum $1\frac{1}{2}$ pollicem latus, et 3 lineas crassus est. Ejus cavitas quidem patens, sed aditus in tubas clausi. Orificium apertum in collum uteri plicis refertum deduxit, cujus cavitas 2 lineis ampla inventa est. Orificium uteri internum penitus concretum erat.

Parenchyma uteri nullibi coaliti praeter modum molle; vagina valde extensa; rugarum columnae complanatae. Forsitan menses ex ampla colli uterini cavitate fluxisse haud indubie conjicere licet.

Scirrhosum abnormis magnitudinis ovarium, osseisque, intus quoque inter se nexis, laminis circumdatum.

Ovarium hocce ex cadavere mulieris LX. annorum depromptum intra biennium hanc enormem magnitudinem acquisiisse fertur. De hoc vero in Regio Musaeo anatomico nostro a me reperto ovario, cum de ejus morbi historia nihil constet, praeter formam et mensuras quidquam edicere impos sum.

Corpus est rotundum, gibbosum, diametri XX. pollicum, intus cavum, humorem puriformem versosimiliter continens. Ponderat XXXI. libras. Externa ejus superficies gibbosa et aspera, multisque pseudomembranis circumdata, interna spongiosa et inaequalis. Cavitas XX. circiter men-

suras silesiacas continet. Substantia constat tela cellulosa, quam fibrae tendineae et cartilagineae permeant, quibus multa vasa sanguifera intercurrunt, nec non laminae osseae, totum ovarium ambientes diversimode in ipsa substantia digestae, decimam sextam fere totius massae partem magnitudine aequantes. Parietis diameter, ubi maximus est, quatuor pollices et dimidium, aliis locis duos et dimidium efficit.

Cancer s. Carcinoma Ovariorum.

E scirrhosa ovariorum induratione carcinomatosa eorundem degeneratio aut metamorphosis prodire potest, quae tamen in utero saepius quam in ovariis reperitur. Semel tantum observavi carcinoma, quod, ovarium sinistrum cum funditus exederet illudque in fungum tenacem coloris rubri transformaret, uterum illaesum reliquerat. Ovaria plerumque una cum utero, si hic carcinomatosus sit, una malo isthoc corripiuntur et degenerant.

Ovarium induratum vasis in lympha extravasata recens formatis vita sua donatur, et tam diu non immutatur, donec absque omni incitamento inflammatorio diversae oriantur metamorphoses pathologicae ope actionis vitalis, quae in vasis organi indurati est excitata. Quodsi vero in ovariis scirrhosis irritamentum locum habeat, quo in iis producatur inflammatio, ea in carcinoma transire necesse est. 1) Ulcus carcinomatosum itaque nil aliud est, quam organi scirrhosi inflammatio, quae in suppurationem transiit. Id enim quam saepissime in glandularum induratione observare licet, quae dum non irritantur, omnis doloris sunt expertes, accedente vero irritatione si inflammentur, dolere incipiunt, atque in ulcus carcinomatosum abeunt, quod organa correpta funditus destruit.

---

1) C. Wenzel über die Krankh. d. Uterus. S. 118.
Meckel S. 337.
Arnemann Magaz. f. d. Wundarzneik. B. II. S. 3.
Schmalz Versuch einer med. chir. Diagnostik etc. S. 224.
Adam Bemerk. über Krankheitsgifte, Phagedaena und Krebs.
Hufeland Journ. d. pr. Arzneik. B. IX. St. 2.

Propagatio ulceris carcinomatosi igitur non est sequela materiae cujusdam cancro propriae, sed potius inflammationis, quae per organon scirrho affectum serpit.

Si organum carcinomate correptum accuratius contemplamur, parvas vesiculas, humore seu ichore acido foetidoque, qui varii solet esse coloris, et qui praeter sedem suam nativam vicina quoque organa aggreditur, refertas cernimus.

Non raro accidit, ut in organis carcinomatosis, postquam scirrhus in ulcus abiisset, fungus haematodes oriatur, qui nil aliud esse videtur, quam granulationis species.

Carcinoma uteri et ovarii sinistri cum destructione vesicae urinariae et partis intestini ilii.

Mulier quinquagenaria, nunquam puerpera, cessantibus catameniis in cavo pelvis dolores coepit persentiscere, quibus paulo post sedatis blennorhoea vaginae benigna successit. Haud multis annis post pressionem in regione pubis percepit, unde dolores vehementes iique pungentes exorti sunt. Dolores crescebant, accessitque effluxus humoris foetidi acrisque e vagina. Alvus rarissime erat soluta, donec ejus solvendae nisus omnis cessaret. Contra cibos assumtos interdum per vaginam maximam partem crudos excerni animadvertit. Lotium ultimo vitae suae anno nullum miserat. Tabe tandem consumta diros inter dolores mortua est. Secto cadavere tractum intestinorum et ventriculum valde pallidum, colon contractum et angustum, mucoque multo refertum inveni. Hepar nodosum, lien durus, pancreas justo grandius, durum nodosumque, glandulae meseraicae solito majores erant. Omnia organa in cavo pelvis sita intime erant coalita, multaque tela cellulosa tenaci, cui multa vasa sanguifera intercurrerant, circumdata. Uterus adeo erat depravatus, ut praeter massam fungosam cruentam, cui magna hydatidum, lympha lutea repletarum copia inerat, ne minimum quidem ejusdem vestigium superesset.

Ovarium sinistrum in hac massa partim depravatum, partim lympha livida impletum est, quae cum in asserem vernice rubro imbutum fluxisset, siccata substantiam calciformem reddidit, quam calcariae sulphuratae instar abradere licebat.

Ovarium dextrum vesicam formarat magnitudine ovi columbini, humore fusco repletam. Etiam hoc in massa illa indurata repertum est, nec tamen ulla eidem cum cavo destructo erat communicatio. Tota superficies vesicae posterior inventa est degenerata, reliqua pars indurata. Quo factum est, ut cavum hoc carcinomatosum valde amplum videretur, in cujus pariete superiori eoque posteriori pars intestini ilei concretum et ita exesum cernebatur, ut hocce intestinum immediatim desineret in illud cavum, in quod cum chymus incideret, tandem per vaginam excernebatur.

Reliqua pars ilei, triginta pollices longa, quae in coeco inseritur, tota erat concreta, nec intestinum conserinum amplitudine superavit. Intestinum rectum cum hac massa omnino erat coalitum, attamen nullo loco depravatum. Ani tanta erat atresia, ut penna anserina vix inferri posset. Vaginae amplus patebat in hoc cavum aditus.

Hydrops ovariorum.

Hydrops ovariorum opinione frequentius occurrit, plerumque diagnosis fallitur, atque ita saepe cadavera hoc malo affecta in artis salutaris dispendium non secta humantur.

Species est hydropis saccati, sedemque in alterutro, maxime in sinistro, non raro etiam in utroque figit.

Causa hujus morbi semper est inflammatio praegressa latens eaque chronica ovariorum, quae desinit in accumulationem lymphae, sublato exhalationis et resorptionis aequilibrio. Inflammationis praegressae indicia sunt concretiones cum peritoneo, dolores obtusi et pressorii in regione ovariorum hydropem antecedentes. Causae occasionales eaedem sunt, quas supra attuli, nimirum perpetua ad ovaria humorum congestio, per coitum frequentiorem, onaniam, cogitationes volupes aut stimulus sexualis, si eidem non satisfit; quamobrem morbus maxime in feminis, quae aut viro non nupserant, aut libidini sese dederant, occurrit.

Malum nonnisi lente progreditur, semperque in vesiculis ovariorum orditur, utpote quae per figuram suam et humorem contentum aptissimae sunt ad formandos saccos serosos ac proinde hydropem saccatum producendum, cum jam primitus folliculos parvos serosos praebeant. Nec tamen

inficiandum est, malum aeque in tela cellulosa 1) ovariorum existere posse, ut varii tumores cystici in aliis corporis organis; id quod etiam copia folliculorum, quae interdum ingens est, numerumque ovulorum longe excedit, affatim comprobat.

Hydropis ovariorum duae sunt formae genericae. Aut humorum accumulatio tantum in unica vesicula incipit, atque unicum saccum simplicem format; aut in vesiculis pluribus et in tela cellulosa simul fit, ubi ovarium in saccum extenditur, e multis folliculis diversae magnitudinis compositum.

Non raro folliculi parvi rumpuntur et in majores coalescunt. Humoris in singulis sacculis contenti color et consistentia valde variat, in aliis enim tenuis et limpidus, in aliis mucosus; imo purulentus aut albuminis instar, in aliis demum turbidus, lacteus aut pulposus, coloris lutei, bruni aut fusci reperitur.

Diagnosis morbi saepe ardua est, quia plerumque tum demum hydropem ovariorum adfuisse constat, cum jam invaluerit, aut quod saepe cum alia hydropis specie, imo cum ipsa graviditate confunditur.

Decursus mali is est: aegroti initio queruntur de dolore obtuso, quem repente excipit pressio et gravedo in alterutro cavi pelvis latere [plerumque in sinistro, cum in sinistro ovario hydrops occurrere consveverit.] Aegrota in latere sano aegre jacere valet, quia ovarium affectum organa vicina premens molestiam ciet. Cruris in latere affecto sensus saepe quasi obtunditur. Alvus solet esse obstipata, accedit nausea, vomitus, languor, animi dejectio, tristitia. 2) Saepe fluxus menstruus non fit redux, in cujus vices non raro fluor albus, isque pertinax, succedit; mammae turgescunt, et misera graviditatis haec esse indicia sibi facile persvadet, cui opinioni abdomen intumescens favere videtur. Initio morbi externus ae-

---

1) Meckel Pathol. anat. B. II. Abth. 2. S. 144.
J. Astruc Abh. v. d. Frauenzimmerkr. übers. v. Ch. Fr. Otto T. III. Cap. II. und XIII.

2) Richter spec. Therap. B. III.
Morgagni de sed. et caus. morb. Epist. 38.

grotae habitus vix alienatur, nec marcescunt nec tumescunt extremitates, lotium plerumque sat diu normali modo excernitur, nec per abdominis integumenta ullus tumor persentitur prius, quam ovarium hydropicum eo magnitudinis increverit, ut super arcum ossis pubis emineat.

Quodsi vero aegrotam per vaginam aut intestinum rectum exploremus, in alterutro latere, proüt vel sinistrum vel dextrum ovarium affectum sit, corpus mobile, durum, rotundum et grave observamus, utero plerumque ad oppositum latus paulisper moto, orificio uteri autem non mutato.

Paulatim tumor aggravescit, e cavo pelvis egreditur, et plerumque tum in regione ossis ilei dextri aut sinistri situs est. Extensio ovarii dein plerumque tantum lente procedit, interdum tamen citissime.

Humor accumulatus saepe ingens est, quem pondus librarum centum et duodecim 1) aequasse constat. Uterus, si cum ovario concretus reperitur, hoc invalescente et e cavo pelvis in cavum abdominis transeunte, una sursum tollitur, sic ut supra arcum ossium pubis sentiatur; tum collum uteri digitis amplius non assequi valemus, situsque ejus semper obliquus est. 2)

Hydropi ovariorum insignem gradum assecuto, cachexia accedit universalis, aegrota fit chlorotica, digestio et respiratio mole, viscera abdominalia atque ita et diaphragma premente laeditur; crura, praecipue illud lateris affecti, intumescunt, quod tamen haud semper locum habet; aegrota marcescit, succedit febris lenta, donec mors diuturno malo imponat finem.

Prognosis non est faustior quam difficilior diagnosis, quippe cum sanatio perfecta, nisi impossibilis sit, certe perquam difficilis est, nec alias speranda, nisi morbo sat mature cognito. 3)

---

1) Leske Ausz. a. d. philos. Transact. Vol. I. P. 223.
Martineau in d. Samml. f. pract. Aerzte. B. XI. Pag. 659.

2) Vide Tab. II.

3) Richter l. c.

Emetica ex omnibus remediis maximam opem ferre observatum est, restituendo vasorum lymphaticorum actionem. 1) Sed negligenda non est lymphae exsudatae evacuatio ope paracenteseos, per vaginam aut intestinum rectum instituendae. Quodsi vero nimia jam sit humorum quantitas secreta, paracentesis, quae hoc casu solet esse periculosior quam in ascite, levamen quidem adferet aegrotae, sed lympha quam citissime denuo accumulatur, sic ut punctio octogesies intra viginti et quinque annos facta, intraque hoc tempus mensurae borussicae sexies mille, triginta et una 2) lymphae excretae memorentur.

Si humores separatis folliculis continentur, id quod plerumque accidere videtur, paracentesis parum levaminis efficiet, cum lympha ex iis tantum folliculis effluat, quos instrumentum directe tetigerit, reliquis humorem suum retinentibus, cum iis nulla sit invicem communicatio.

Quodsi ovarium majus et crassius justo, scirrhosum et intus exulceratum sit, punctione inflammatio, gangraena, non raro mors subita producetur. 3) Etiam periculum mortis per haemorrhagiam haec operatio minatur, cum saepe permulta vasa sanguifera ovarium tale pathologicum percurrant. 4) Si ovarium cum peritoneo non concretum, humorque solito spissior sit, hic extracto canaliculo facile in cavum abdominis effundi, ibique inflammationem exitumque infaustum proferre valet.

Hydrops utriusque ovarii cum ischiatocele.

Vidua sexaginta et octo annos nata, bis marito nupta, pluresque proles enixa, anno demum quinquagesimo quinto menstruari desierat. [Aetate jam provecta, imo malo memorando jam aggravescente, adhuc veneri vagae dedita fuisse fertur.] Menstruatione vix cessante vehementibus in dextro latere cavi pelvis doloribus affecta est, qui tamen tribus abhinc hebdomadibus ita evanuerant, ut nonnisi sensus obtusus superesset, cui profusa medorrhoea successit, qua post anni decursum cessante, dolores illi

---

1) Hufeland Journ. Vol. 17. St. 4.

2) 13 Oxthof.

3) Richter l. c.

4) V. Tab. II.

recruduere, prioribus vehementiores, ast nonnisi aliquot diebus durantes. Tum aegrota de sensu trahente et gravante in latere dextro questa, caeteroquin tamen bene se habuit. Gravedo pedetentim augetur, alvus saepe clausa est, aegrota in latere dextro jacere impeditur, crure tum dextro torpescere solito. Tumor tantum paulatim augebatur, sic ut a quinque demum annis super arcum ossis pubis prominens sentiretur. Quo vero adaucto cruris torpor evanuit, cujus vices nunc supplevit sensus trahens et tendens in vagina. Alvus interea semper obstipata erat, nec aliter nisi ope clysmatum aperiri poterat. Corporis tamen habitus viriumque conditio hucusque non videbatur laesa.

Octavo jam ab initio mali anno exacto, abdomine jam magnopere extenso, dolores vehementes in latere sinistro pelvis sentire coepit, qui vero aliquot tantum diebus durarunt. Nono morbi anno accessit tumor in regione ossis ischii sinistri, qui paulatim crescebat, aegrotam in eundo impediens. Crus sinistrum ea ratione torpere coepit, qua tumor crevit. Aegrota nonnisi in latere dextro cum aliqua quiete jacere valebat. Jam marcescere et asthmate laborare coepit, tabeque universali consumta decimo tertio diri hujus mali anno mortua est.

Cadaveris penitus emaciati locus nullus, nisi crus sinistrum ultimis vitae hebdomadibus paulisper intumuerat. Per integumenta abdominalia perquam tenuia facile erat tumoris illius limites et formam rotundam tactu determinare. Aliquot supra arcum ossium pubis pollices corpus durum, determinatis limitibus circumscriptum observavi.

Tumor in regione ossis ischii sinistri, magnitudinem capitis infantis sex menses nati prae se ferens, mobilis erat manuique exploranti corpus praebuit stricte tensum.

Cavo abdominis aperto corpus insignis voluminis, stricte tensum, forma rotunda, sese manifestavit, excepta superficie postica undique liberum, cujus diameter ubique idem tres de viginti pollices aequavit. Multa illud vasa sanguifera ambibant. 1) Ossibus pubis et ilei erat contiguum, nec non vertebris lumborum, hisque insuper ope ligamenti firmi, quatuor circiter pollices lati, affixum. Quod corpus pathologicum rite exploratum quin aliud, quam ovarium dextrum esset, nullus dubitabam.

---

1) Vide Tab. II. Fig. 1. a.

In inferiore hujus ovarii parte cum parte vaginae B. uterus situs est, cujus margo posterior intime cum ovario est coalitus. Fundus uteri oblique sinistrorsum spectans supra arcum ossium pubis omnino eminebat.

Ovarium sinistrum C. magnitudinem capitis infantis septem menses nati aequans, in magna situm erat cavitate, quae formata erat ab extenso ligamento tuberoso- et spinoso-sacro, musculo pyriformi et glutaeo maximo lateris sinistri, unde hernia ischiadica s. ischiatocele exorta est Ligamentum ovarii cum tuba Fallopii D. sex septemve pollices longitudine aequabant.

Nervus ischiadicus erat latus et retrorsum pressus. Saccus herniae proprius formatus erat ab inferiore parte musculi glutaei maximi admodum dilatati. Qui saccus erat septem pollices profundus, tres et dimidium latus.

Vesica urinaria E. sub ovario pathologice amplificato sita, tantum laxe cum eodem connexa erat. Canalis alimentarius valde repressus erat sursum simul et postrorsum, hepar exiguum durumque, lien item parvus sanguine turgidus, omenta emaciata, ventriculus cum pancreate et renibus haud abnormia erant.

Pondus ovariorum una cum utero affixo libras quadraginta duas et dimidiam aequavit.

Uteri longitudo effecit pollices quatuor, nec quidquam praebuit abnorme, nisi intimam cum sacco ovarii dextri coalitionem. Vagina septem pollices longa reperta est. Ovarium sinistrum C. format vesicam, membrana serosa tenerrima eaque rotunda constantem, in cujus parte postica vesicula F. cernitur. Tubae sinistrae fimbrias magnas, super ovarium pathologicum extensas monstrat G.

Ovarium dextrum pathologice immutatum globum amplum cavumque praebet, cujus parietis firmi, coriacei, colorem luteum exhibentis diameter nonnisi dimidiam lineam efficit. Ejus superficies externa est glabra, excepta parte postica in regione vertebrarum lumbalium, ubi ope ligamenti firmi palmam manus lati, peritoneo affixum observavimus. In superficie ejus magna haud exiguorum vasorum sanguiferorum copia extenditur H. H. H. H., quae sunt rami vasorum spermaticorum. Tubae dextrae et ligamenti rotundi uteri dextri ne vestigium quidem adfuit, contra ligamentum uteri rotundum sinistrum permagnum est observatum.

Humor, sinistro ovario contentus, pellucidus erat et tenuis, dextri contra subflavus et pulposus. Hujus analysin perillustris Professor Chemiae in literarum Universitate Vratislaviensi D. Fischer tradidit sequentem:

A. Proprietates physicae:

Color flavo-albus.
Consistentia syrupo similis.
Pondus specificum = 1,0385
Odor subputridus.
Sapor insipidus.

B. Proprietates chemicae:

1. Fluidum aqua commixtum et agitatum praebet emulsionem fere homogeneam, nec flocci majores praecipitantur.
2. Calefactum coagulatur, aucto calore mox singularis ille odor nascitur pyro-animalis.
3. Charta lacmo tincta non mutat colorem, chartam vero succo rosae autumnalis imbutam viridem reddit.
4. Spiritu vini rectificatissimo solutio subviridis oritur, [maxima fluidi reliqui parte subito in coagulum abeunte] quae successivae evaporationi exposita squamas albas, tenues nitidasque in superficie fluidi et in vasis parietibus deponit.
5. Infuso gallarum, solutione hydrargyri sublimati et plumbo acetico fluidum praecipitatur [seu praecipitantur illa reagentia.]
6. Residuum siccum, quod a leni evaporatione remanet, amplius quinta parte quantitatis adhibiti fluidi.

C. De partibus constituentibus chemicis hujus fluidi.

Juxta ea, quae allata sunt, sequentes fluidi hujus partes constituentes sunt:

1. Albumen praedominans.
2. Gelatinae [Osmazom?] exigua, et
3. Muci quantitas perexigua.
4. Alkali liberum, quod videtur esse natrum, saltem sine dubio ammonium non est, id quod tubuli vitrei, acido muriatico aut nitrico made-

facti, fluidoque admoti, affatim prodidere. Num autem hoc kali liberum in recenti fluido jam extiterit, an contra putredinis incipientis productum [analysis enim chemica fluidi sexta demum ab obitu die a me est instituta] determinare non ausim, licet posterius mihi videatur verisimilius.

5. Materiae, quam Galli vocant Adipocire, quantitas perexigua, in spiritu vini rectificatissimo solubilis.
6. Salium muriaticorum et phosphoricorum aliquantulum, id quod aqua destillata cum fluido nostro cocta demonstravit.
7. Carbo aegre in cinerem redigendus calcariam praecipue phosphoricam, sed ne vestigium quidem ferri indicat.

Ovarium sinistrum hydropicum. 1)

Ovarium hoc est desumtum e cadavere mulieris quadragenariae, quae per longum tempus tumore abdominali affecta erat. Quod ovarium in saccum amplum, ovalem, unum et dimidium pollicem longum, diametri pedis unius, est immutatum. Maximam partem cavitas est simplex, lympha pellucida referta, in cujus cavi superficie, nec non in cavo ipso, insuper partim haud exiguus folliculorum numerus diversi voluminis, etiam lympha repletorum, partim eorum, qui in unicum saccum confluxerunt, vestigia cernuntur. 2) Diameter hujus cavi parietum lineam aequat. Superficies externa aspera est. Membrana ovarii duplex est, externa firmissima, interna tenuissima, ovario ipsi persimilis, membranaeque externae ope telae cellulosae affixa. Uterus cum ovario dextro ejusque tuba a norma non abhorrent, tuba sinistra autem cum sacco illo confluxerat.

---

1) V. Tab. III. Praeparatum hocce, sicut et illud, quod Tab. V. monstrat, in Musaeo anatomico Viadrinae asservatur, atque ab ill. Prof. D. Otto (Seltene Beobachtungen zur Anatomie, Physiol. und Pathol. gehörend) descripta sunt. Quae duo exemplaria in hoc opusculo non praetereunda putavi, cum alterum (Tab. III.) folliculos singulos in saccum communem confluentes, alterum (Tab. V.) singularem dentium ossiumque in ovariis formationem ostendat.

2) Tab. III.

Ovarium sinistrum hydropicum cum Hydatidibus.

In cadavere mulieris quinquaginta annos natae, tabe demortuae, postquam per multos annos abdomen tumidum fuisset, ovarium inventum est, cujus diameter ubique locorum undecim digitos aequabat, cum utero tantummodo et cum peritoneo ope ligamenti in regione lineae arcuatae in latere dextro conjunctum, caeterum liberum. Pondus ejus efficit libras quinquaginta. Speciem sacci prae se tulit, cui inerant tres folliculi pomi volumen aequantes, una cum humore fluido, pellucido, coloris e rubro fusci. In folliculis magnus hydatidum numerus cernebatur, petiolis tenuibus adhaerentium, veluti circa ampliorem vesicam pendularum. Uterus et ovarium sinistrum haud quidquam monstrabant pathologici, in canali alimentario et ventriculo abnorme nihil inventum est. Hepar induratum, cystis fellea calculos permultos continens, lien laxae nimis consistentiae erant, renes et pancreas conditioni sanae respondebant.

In musculis hujus cadaveris multae inventae sunt hydatides. Organa pectoris erant sana.

Hydrops ovarii unius, tubae Fallopianae et polypi uteri.

In cadavere puellae, viginti et duos annos natae, vitae libidinosae dedita, quae furtu commisso carceris metu sibi ipsi vitam ademisset, cuncta organa abdominalia sana reperi, exceptis genitalibus. Orificium vaginae et vaginam ipsam perquam dilatata, uterum solito laxiorem et ampliorem, orificium uteri apertum, ejusdem cavum dilatatum, in eoque complures excrescentias polypiformes reperi, ab orificio uteri interno, pedunculo tenui oriundas, in ipsam vaginam extensas, quarum maxima unum et dimidium pollicem longa, basi dimidium lata erat, reliquis tantum quadrantem pollicis longis.

Ovarium dextrum volumen mediocris ovi gallinacei aequat. Parietum ejus valde firmarum multisque subtilibus vasis sanguiferis praeditarum diameter lineas tres et dimidiam efficit, cavum ipsum, si guttas aliquot muci exceperis, vacuum repertum est, resorpto procul dubio humore ante contento. In pariete anteriore complures excrescentiae parvae cernuntur, cartilagine duriores, quae certe suo tempore in substantiam osseam fuissent transformatae. Tuba Fallopiana cum ovario coalita, cavum praebuit, cujus diameter unius et dimidii pollicis erat, humore limpido fluidoque refertum.

De abnormi adipis, pilorum ossiumque in ovariis formatione.

Omnes illae conditiones, quae ad gignendum in ovariis hydropem requiruntur, etiam ad adipem, pilos ossaque in iis organis producenda conspirare necesse est. Absque dubio formandae adipis primordia consistunt in humore mucoso, qui dein in adipem mutatur. Juxta Autenrieth 1) polus hydrogenii lympham, adipem plus minus puram aut sevum producit.

E. Home 2) intestinum rectum esse organon illud statuit, quo potissimum adipis formatio praeparatur.

Verumtamen ejusdem secretio absque dubio mediante systemate lymphatico, uti secretio quaevis alia, fit. Adipis formatio in ovariis oritur semper in folliculo seroso, jam prius efformato, qui quodammodo organon secretionis est, quo enim destructo adeps formari desinit, denuo tamen formari pergit, remanentibus ejusdem particulis. Quae adipis formatio sequentes videtur percurrere periodos:

a) Formatio lymphae mucosae. b) Transformatio ejus in oleum. c) Coagulatio ejusdem in adipem consistentem, quae d) in materiam cerosam s. Adipocire mutatur. 3) — Plerumque adipis formatio cum memorabili pilorum formatione conjuncta est, 4) quae quidem in omnibus vitae periodis locum habet, cum ut in juvenibus, ita in provectae aetatis hominibus reperiatur. Quantitas adipis in ovariis secretae variat; inventum est ovarium in deformem molem ponderis librarum centum et duarum immutatum. 5) Simili modo pilorum copia admodum diversa est, jam enim

---

1) Reil in Autenrieth's Archiv f. Phys. B. VII. S. 278.

2) Meckels deutsch. Arch. f. Phys. B. II.

3) Pierer anat. Realwörterbuch. B. I. S. 84.

4) Meckel l. c. St. I.
Morgagni epist. XXXIX. § 40.
Haller elem. phys. T. VIII. p. 46.

5) Van der Bosch Geneskundig Magaz. St. I.

numerosissimi et velut in globum complicati, jam minus complexi aut singillatim in adipe dispositi reperiuntur. In ipsa pariete capsulae internae pendentes observati sunt. 1) Alii carent, alii instructi sunt radice diversae longitudinis, 2) quae tamen semper minor est, quam capillorum, radicibusque pubis potius respondent. Eorum longitudo valde diversa est, quae a Baillie trium digitorum, a Thiebault viginti, a me trium, a Tyson duorum pedum est observata. Eadem est coloris diversitas, jam enim capillorum jam pubis ejusdem hominis prae se ferunt colorem, jam diversum omnino et proprium exhibent. — Phaenomenis sane memoratu adhuc dignioribus accensenda sunt concrementa ossea, prae omnibus dentes, in hujuscemodi tumoribus praeter pilos in adipe, aut quod frequentius accidit, in proprio cavo mucoso reperti, 3) cujus rei singularis observandae mihimet ipsi occasio erat in cadavere monstroso, ubi in regione ossis sacri tumescentia cernitur, cujus diameter quilibet est sex pollicum, et quae tribus constat membranis, externo nimirum cutis integumento prolongato duabusque membranis serosis. Inter cutis integumentum [primam membranam serosam] corpus rotundum ab osse sacro prominens cernitur, magnitudine pomi mediocris, substantiae quasi muscularis, laminis osseis circumdatae. In prima membrana serosa magna lymphae albuminosae quantitas est reperta. Juxta hoc ipsum corpus rotundum, interposita vero membrana serosa, massam vidi adiposo-cerosae similem, a pelvi infantis quasi productam, in saccum libere dependentem, in cujus latere anteriore magna pilorum rubrorum copia, duos digitos longorum, radice tantum perbrevi instructorum comparuit. Ante illud tunica magna, cellulas formans sat magnas, omento magno simillima, libere in hoc cavo pendet, humore omni vacua.

Quaestioni, qui fiant abnormes haec pilorum, ossium, dentiumque formationes, celeb. ille Meckel optime videtur respondisse, quippe qui diversas hac de re opiniones collectas critice perlustravit.

---

1) Baillie Sömmering.

2) Blumenbach de nisu formativo et generis etc. Gott. 1787.
Ejusdem medic. Bibliothek. B. I. S. 151.

3) Meckels deutsh Arch. l. c.

Abnormis formatio adipis, pilorum ossiumque in ovariis, una cum polypis in utero.

Mulier, circiter XXXV. annos nata, bene vegeta, nunquam puerpera, vita libidinose peracta, icteri sequelis mortua est. Corpus totum e flavo fuscum, veluti felle illitum erat, ipsa capitis ossa flava, arachnoideam gelatinosam itidemque flavam, cerebrum a norma non abhorrens reperimus.

Viscera pectoris erant normalia, in pericardio autem tres circiter unciae lymphae fellei coloris aderant. Idem in pleuris est observatum.

In cavo abdominis humor cernebatur libram pondere aequans, coloris flavi. Hepar perdurum coloris laete flavi et exsangue; cystis fellea tribus calculis magnis tota expleta fellisque vacua; lien tantum septem pollices et dimidium longus, tres latus, valde laxus, fluidoque sanguine refertus; pancreas solito durius inventum est. Ventriculus et canalis alimentarius sana, omenta admodum pinguia erant.

In cavo pelvis duo corpora rotunda, undique libera observavi, ovaria scilicet, uterum et vesicam urinariam omnino obtegentia, magnitudine infantis recens nati.

Ovarii dextri pondus aequavit libram, sinistrum libra dimidia gravius erat.

Ovarium dextrum Tab. IV. Fig. 1. a. duobus constat folliculis, incisura obliqua a. a. a. dehiscentibus, e qua pili prominent.

Folliculus major totus materia adiposo-cerosa repletus est, in quo magna pilorum copia radicibus carentium, pollices octo ad duodecim longorum sparsim occurentium cernitur, quorum color idem erat ac capillorum, videlicet flavus.

In superficie interna parietis posterioris exigua excrescentia ossea capsulae inclusa apparet, similis denti molari infantis septem menses nati. Folliculus minor b. b. globum adiposum subflavum, butyro similem Fig. 2. a. magnitudine nucis juglandis praebet. In quo globo multi pili rubri, breves, acuminati, ad duos usque digitos longi, radicibus instructi, coloris ejusdem ac pubis, globi instar in hac massa adiposa complicati, cernuntur.

Etiam in interna parietum superficie hujus folliculi, in tres lobos b. b. b. b. fissi pili numerosi, radicibus brevibus gaudentes, spectantur.

In pariete ad uterum converso excrescentia in conspectum venit, tres lineas longa, mollis, flori brassicae oleraceae similis c., pedunculo brevi pendens, a massa adiposa septa. Post folliculum hunc cavum conspicitur, quatuor lineas longum, perangustum, pilorum expers, quo continebatur oleum liquidum, cui videbatur esse communicatio cum excrescentia c. Folliculorum membranae intus et extus glabrae diameter erat duarum linearum.

Ovarium sinistrum B. majus est dextro, multis cellulis, in externa superficie quasi tuberculosa prominentibus a. a. a. laminisque osseis tenuissimis, cellulas circumdantibus, constans.

Dissectum Fig. 3. cellulas monstrat a. a. a. diversi voluminis diversaeque formae, maximam partem tenuibus laminis osseis constantes, lineae circiter quadrantem diametro aequantibus, humore, colore, sapore et consistentia felli respondente repletis.

Uterus C. justo laxior et amplior est, in cujus cavo item solito ampliore tres cernuntur polypi a. b. c., cujus maximus a. fundo uteri affixus, pollicem longus, dimidium latus est, quorumque duo b. c. minores sunt.

Concrementum osseum et dens in ovario sinistro. 1)

Ovarium Tab. V. Fig. 1. cavum simplex, pedem longitudine, tertiae pedis partem latitudine aequans, diametro parietum valde diverso, jam quadrantem pollicis, jam dimidium efficiens.

Superficies externa est aspera, interna inaequalis et porosa, jam tendinea, jam quasi muscularis, unde cum utero gravido enascitur similitudo. In extremitate ovarii uterum spectante non mediocris tumescentia in cavum prominens cernitur a. a., magnitudine dimidii pomi aurantii, quam membrana squamosa eaque laxa obducit.

---

1) Otto seltene Beobacht.
Ejusd. Handbuch der pathol. Anat. S. 377. Anm. 27.

Praeterea ex eodem ovario prominet dens, radice mobili affixus b., dentis molaris anterioris instar, firmus. Radicem simplicem substantia cornea, coronam vitrea circumdat, in cujus coronae medio pars acuminata conspicitur, e cujus basi quatuor eminentiae aequaliter acuminatae forma circulari dispositae sunt. Fig. 2. hunc dentem duplo majorem monstrat.

Tumescentia ipsa formatur e magno osse deformi, eodemque firmo et denso, ossis petrosae instar Fig. 1. a. a., cujus basis duos pollices longa, unum et dimidium lata est. Ejus superficies complura ostendit foramina marginibus subrotundis quasi politis, in quos membrana tumescentiam obducens penetrat.

Praeter hoc magnum deformeque concrementum osseum pluribus locis, sub intima membrana cavum obducente, singula ossicula parva cernuntur.

Ligamentum uteri latum septem, tuba quindecim pollices longa est, in cujus fimbriis concrementum osseum firmum, tenui membrana obductum, dimidium pollicem longum, quartam pollicis partem latum pendet. Aliis quoque hujus tubae locis concrementa ossea, seminum milii instar, reperiuntur. Tubae canalis ubique patet. Uteri volumen est normale, ejusdem cavum ejusmodi est, quale feminarum esse solet, partum nondum enixarum, nec quidquam abnorme praebet. Ovarium dextrum voluminis justo amplioris est.

EXPLICATIO FIGURARUM.

Tab. I.

Fig. 1. A. Scirrhosum ovarium sinistrum cum involucro osseo.
a. a. a. a. Plurima in superficie hinc inde dispersa grana ossea.
B. Ovarium dextrum valde exiguum.
C. Tuba Fallopiana.
D. Uterus multo minor solito.

Fig. 2. Ovarium sinistrum scirrhosum.
a. Excrescentia cono similis, tres lineas longa.
b. Excrescentia frondosa.

Tab. II.

A. Ovarium dextrum feminae LXVIII. annorum, diametro XVII pollicum.
B. Uterus, ex eo oblique dependens simulque cum eo coalitus.
C. Ovarium sinistrum herniam ischiadicam formans.
D. Tuba Fallopiana sinistra.
E. Vesica urinaria.
F. Vesicula in ovario sinistro.

Tab. III.

Ovarium hydropicum solito grandius multis cum folliculis.

T a b. IV.

Fig. 1. A. Ovarium dextrum cum adipis, pilorum et dentium formatione.
a. a. a. Folliculus major transversim dissectus, e quo pili prominent.
b. b. Folliculus minor globum adiposum butyro similem et pilos numerosos continens.
B. Ovarium sinistrum.
a. a. a. Cellulae ejusdem prominentes.

Fig. 2. Folliculus ovarii dextri apertus
a. Globus adiposus multis pilis pertextus.
b. b. b. b. Folliculus in quatuor lobos fissus, cujus parietibus internis pili infixi sunt.
C. Excrescentia brassicae oleraceae botryti similis.

Fig. 3. Ovarium sinistrum dissectum.
a. a. a. Diversa cellularum apertarum forma.

T a b. V.

Fig. 1. Superficies interna ovarii sinistri insolitae magnitudinis.
a. a. Concrementum osseum.
b. Dens supra hoc concremento.

Fig. 2. Dens duplo major.


a
A
a
a
a
a
a
C
D
B
E
F

Figur 1.

H. H. H. H. A. B. E. D. C. G. F.

Fig 2.






Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.



gez. n. d. N. v. C. Kleemann. lith. u. ged. bei C. G. Menzel. in Breslau.

Tab. V.

Fig. 1.

b.

a.

a.

Fig. 2.



